

Christian Benedict Michaelis

**Ferias Pentecostes Religiose Cvstodiendas Fridericianae Prorektor Christ.
Benedict. Michaelis ... Vna Cvm Cancellario Directore Et Reliqvo Senatv
Academico Indicit Civibvs Proposita Brevi Dispytatione De Variis Spiritvs Sancti
Appellationibvs**

Halae Magdeburgicae: Typis Ioannis Christiani Hendelii, MDCCLIII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873474228>

Druck Freier  Zugang





A. B.
48. 6. 91.

61.

Fa 1092 (61.)

- | | |
|--|--|
| 1. Struense de transitu a morte spirituli ad vitam etc. | 17. An maximè unguis ubi sicut gaudium non vobis vobis d. J. G. H. |
| 2. Baumgarten vindiciae vocis Oros in oracul. paulino. | 18. Hase de muliere ambiente virum. ad Ier. xxxi. |
| 3. Steck. vindiciae libertatis ecclesiae germanicae. | 19. Idem. de falsae notae prophetis. |
| 4. Struense de perfectione renatorum. | 20. Knapp de perseverantia credentium vsq. ad. finem. |
| 5. Michaelis demonstratio tentamen, quod Josephus israelis filius fecit. | 21. Hase de manu super throno Sei. |
| 6. Joh. Recht Rabbi in Josephus Guegl-Verfassung. | 22. Semler de concilio tridentino |
| 7. Hase de stilo prophetae Amosi | 23. Michaelis de variis sanct. spiritus appellationibus |
| 8. Baumgarten Pax passauensis. | 24. Osiandrus de angelis in genere et in specie. |
| 9. Stiberiz de nomine Meschia. | 25. Hofmann. de singulari hebraeorum cura. |
| 10. Baumgarten de limitibus lib. etali consuetudinis etc. | 26. Winkelmann de analogo rationis in scholis inferior. |
| 11. Baumgarten de abusu locutionum anthropopathico. | 27. Rupprecht de societate litteraria rhenana. |
| 12. Semler de degeneratione monastica | 28. Leyes academiae Frid. |
| 13. Zachariae illustratio loci act. xvii. 26. | 29. Schubert de iustitia Sei. |
| 14. Ellenbergeri praelimina ad introductionem in novum. Test. | 30. Apollonius de modo effectus animi etc. |
| 15. Gambs de Zizanias. | 31. Lambert vitia partium genitalium etc. |
| 16. Baumgart. de limitibus in concilianda rationi doctrina revelata. | 32. id. Causas incrementum corporis animalis etc. |

3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25

33. Büchner de praecipitatione chemica.
34. Nietzoi de morbi salutaris notione.
35. Segneri specimen theoriae turbinum.
36. Alberty de maiori frequentia apoplexiae in eruditis.
37. Juncker de utilitatibus dolorum.
38. Müller de cathana telluris nostrae ruina.
39. Eberhard de modis cordis.
40. Juncker de usu corticis.
41. Büchner de ventriculi sub coelo frigido.


FERIAS PENTECOSTES
RELIGIOSE CVSTODIENDAS
FRIDERICIANAE PRORECTOR
CHRIST. BENEDICT.
MICHAELIS

THEOL. D. EIVSDEMQUE AC LL. GR. ET OO.
PROFESS. PVBL. ORDIN.

VNA CVM
CANCELLARIO DIRECTORE
ET RELIQVO
SENATV ACADEMICO
INDICIT CIVIBVS

PROPOSITA
BREVI DISPVATIONE

DE
VARIIS SPIRITVS SANCTI
APPELLATIONIBVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE

TPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELI ACAD. TYPOGR.
MDCCLIII.

FRANZ BENEDICTUS

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCKENSIS

CHRISTOPH BENEDECTUS

MICHAELIS

THEOL. & PHYSICAE AC MATH. P. DO.

PROFESSOR

PHYSICAE

CANCELLARIO ROSTOCKENSIS

ET

SENATVS ACADEMICI

MEMBRVS

PROFESSOR

PHYSICAE

DE

VARIIS SPIRITVS SANCCTI

APPELLATIONIBVS.

—————

—————

—————

—————



Festum, quod diuino munere, iam rursus agimus, Pentecostes tempus, academi- arum scholarumque anniuersarium quasi Iubilaeum esse deberet; si hae nomina, quibus vulgo signantur, rueri, illisque non tam superbire seque insolenter iactare, quam de eo laborare vellent, vt se illis dignos praeberent paresque facerent. Audiunt videlicet, audireque etiam gestiunt, non solum doctrinae, litterarum, bonarumque artium, quod tamen iam satis splendidum est, verum etiam ipsius spiritus sancti officinae: quae ipsa appellatio perspicua sane professio est, academi- as scholasque spiritui sancto maxime patere, atque ab illo eo pacto in habitari, ac regi debere, vt in illis tamquam summus ac primarius magister ac doctor instituat, doceat, docentesque primo ipsos, ac de- inde per illos discentes ita formet atque ad veram actuosamque cog- nitionem Christi deducat, vt respublica & sacra tales ab iis homines accipiat, qui diuinitus etiam instructi, doctrinam facultatemque alia- rum, quas didicerunt rerum, ad veram communemque generis huma- ni salutem conferre & possint & velint. Quod si ita, vt par est, & co- gitaretur & ageretur, fieri sane non posset, quin tales bonarum littera- rum sedes dies hos spiritui sancto, tam quam summo suo Rectori, ac principi doctori, sacros, cum gaudio, religiosa veneratione illius, de- centique gratiarum actione celebrarent.

Verum enim vero plurimi hic & cogitant & clamant, huiusmodi scholam & academi- am, vbi vel omnes vel saltem plurimi non spiritus mundi, sed spiritus Dei sectam atque imperium sequantur, esse ciuita- tem litterariam, reipublicae Platonicae similem, quae cogitatione men- tis

tis tantum fingatur & optetur, at nec fit nec vnquam aut vsquam esse possit. Hoc vero praetextu, quod nunquam in vniuersum omnino omnes, imo ne quidem plurimi in academiis tales futuri sint, abutuntur deinde etiam quasi iure suo finguli, vt imperium, moderationem atque institutionem spiritus S. vel cum supercilio aspernentur ac respiciant, vel si paullo modestiores adhuc videri volunt, inter pia desideria numerent, quid quid hac de re dicitur, quibus a multis, inter quos ipsi quoque esse volunt, satisfieri nequeat. Ex quo id tandem euenit, vt pro moribus temporum, prudentiam ac necessitatem putent, plurimos eiusdem ordinis & conditionis sequi; idque vel impuine, vel saltem excusatius negligi sibi persuadeant, quod a plurimis negligitur.

Vtinam tam bene, ageretur cum nostris rebus, vt de nostrae academiae statu aliter pronuntiari possit; at proh dolor tanta illorum, qui spiritus sancti imperio ex animo parent, apud nos quoque penuria ac paucitas est, vt prae apertis contemtoribus vix appareant. Nostrium interim est, omnia tamquam in difficili morbo, remedia experiri, vt curua apud nos corrigantur, emendenturque publici sed prauis moribus; id quod etiam in praesenti instituiamus, dum rursus publice ad vos CIVES OPTIMI scribimus. Vestrum vero est videre ac sollicitate cauere, ne idem accidat, quod vetus Comicus false quidem sed nimis vere de suo tempore scripsit, vt bona vitae morumque praecepta domi de parietibus pendeant, malis interim moribus per ciuitatem currentibus. Nostro igitur officio satisfacturi praestantiam spiritus sancti per Christum nobis parti, quatenus quidem illa ex variis illius appellationibus apparer, vobis ante oculos his litteris proponere constitutum est. Cum vero nec perspatii nec per temporis angustias omnia spiritus S. nomina in sacris litteris occurrentia colligere liceat, potiorum propositione breuique explanatione erimus contenti; quae tamen ad excellentiam huius muneris demonstrandam vobisque commendandam plane sufficere poterunt.

Duplicis vero, si rem ipsam spectamus, generis sunt nomina, quibus spiritus sanctus appellatur: alia videlicet proxime ac praecipue ad signandam illius diuinam naturam ortumque aeternum, alia vero ad significanda illius opera atque munera in naturis creatis maxime pertinent. De vtroque itaque genere breuiter agemus. Initium itaque faciamus

ciamus ab illis nominibus quibus natura ortusque spiritus sancti diuinus maxime signatur.

Primo itaque haud infrequenter in sacris litteris simpliciter & absolute *spiritus* appellatur; qua in re viri diuinitus adflati ipsum Dominum praeuentem secuti sunt. (conf. Ioh. III.) Haec vero appellatio tria maxime complectitur; primo scilicet ipsa spiritualis siue simplicissima spiritus sancti natura, ab omni corporis concrectione & coniunctione maxime remota significatur; deinde pertinet quoque haec appellatio ad ipsum numen ac diuinitatem spiritus S. indicandum. Dum enim *spiritus* absolute sine vilo additamento nominatur, eo ipso docemur, non esse spiritum aliquem finitum ac creatum, sed infinitum ac perfectissimum ac proinde ipsum Deum verum ac summum. Quando enim S. codex de spiritibus creatis varii generis loquitur, id semper ita fieri solet, vt haud obscure fines, quibus circumscripti sunt, simul vel verbis vel rebus ipsis indicentur: denique hac appellatione ratio quoque ortus illius aeterni a personis duabus reliquis in *spiratione* posita notatur; similitudine haud obscure ab anima in homine viuo quae spiritu & ducitur & redditur, ducta; id quod vel ex eo apparet, quod interdum *spiritus oris Dei* nominari solet. Sicuti vero in re hac mysterii plena quidquid imperfectum Deoque indignum est, sollicitè remoueri, cogitationemque mentis a sensuum consuetudine, corporearumque naturarum ratione reuocari oportet; ita simul fatendum est, *spirationis* illius rationem, per quam essentia diuina ab aeterno cum spiritu S. communicatur, nostrae intelligentiae vim plane superare, consultiusque proinde esse in iis consistere, quae reuelatio esse docet, quam scrutando & rimando, quomodo sint & fiant, erroris periculo se aliosque obicere.

Succedat iam appellatio admodum frequens in sacris *spiritus Dei, Domini, item Christi, filii Dei*. His itaque appellationibus rursus tria maxime de spiritu S. adfirmari videntur. Primo scilicet rursus vera illius *Θεοτης*, siue quod natura atque essentia Deus sit, ea demonstratur. Sicuti enim anima hominis *spiritus* illius dicitur, (1 Cor. II.) quoniam ad essentiam illius naturamque pertinet, ita spiritus S. simili ratione *spiritus Dei, filii Dei &c.* dicitur, vt illum ad essentiam Dei pertinere illiusque vere participem esse intelligamus. Quod vt eo certius appareat

A 3 reat

reat, operae pretium omnino est, cautionem distinctionemque loquendi biblicam hic obseruare, quae nunquam non idoneas grauesque causas habet, quamque proinde diligenter attendi oportet. Nunquam videlicet spiritum sanctum, *Pauli, Petri spiritum*, in sacris litteris appellari legimus, licet in illis tamquam templis suis habitauerit, eosque rexerit; cuius sane rei nulla alia ratio est, quam vt doceremur, coniunctionem spiritus S. cum credentibus, arctissimam licet atque intimam, essentialem tamen in eam sententiam neutiquam esse, vt spiritus S. ad illorum essentiam pertineat. Cum vero contrariorum contraria sit ratio, ex eo ipso, quod *Spiritus Dei, filii Dei &c.* appellatur apparet, eum ipsum esse verum Deum, ac proinde essentiae diuinae participem.

Obiici quidem hic posse videmus, inueniri nihilominus in S. litteris exempla, pronuntiatiae a nobis sententiae contraria; appellari enim spiritum S., *Mosis*, atque *Eliae spiritum*, non secus ac *Dei & Christi*. (Num. XI, 17. 2 Reg. II, 5. 15.) ad haec diluenda duo maxime obseruari velimus. Primo itaque recte attendentibus facile apparet, vocabulum *Spiritus* in locis laudatis aperte effecta & opera spiritus sancti in hominibus significare; id quod etiam in scriptis N. T. interdum fit: (Ioh. III, 4. Rom. VIII. Gal. V.) *Spiritus* ergo *Mosis & Eliae* nihil aliud est, quam donum vaticum, Mosis atque Eliae a spiritu sancto impertitum. Quam interpretationem si ad illa effata transferre velis, quibus spir. S. dicitur *Dei spiritus* nemo non videt, quam absurda minimeque ferenda sententia futura esset. Deinde, quoniam in scriptis N. T. sanctissimum Trinitatis mysterium clarius patefactum explicatumque est, quam in V. T., orationis genus in N. T. ad habitum maxime spectari, atque ex eo cum de re ipsa tum de vera notione huiusmodi sententiarum V. T. iudicari oportet.

Alterum quod appellatione *Spiritus Dei, filii Dei*, docetur, in eo positum est, vt ex illa rursus appareat, spiritum S. essentiam diuinam a Deo & filio eius communicatam habere: id quod etiam ex eo perspicuum est, quoniam mutata paullulum oratione *Spiritus ex Deo* etiam nominatur, quo origo illius distinctius indicatur. Tertio appellatione *Spiritus Dei, filii Dei* respicitur etiam legatio spiritus S. ad homines, quippe qui frequentissime a patre & filio mitti ac tribui dicitur. *)

Con-

*) A Filio quidem mitti dicitur Spiritus, at Christum a Spiritu S. mitti, ab

Coniuncta est cum appellatione, quam adhuc tractauimus, appellatio *Spiritus gloriae*. (1 Pet. III, 14.) Sicuti enim *Deus gloriae* idem est atque *Deus verus ac summus*, ita *spiritus gloriae* est spiritus perfectissimus, complexum omnium virtutum laudumque habens.

Progredimur. nunc ad vulgatissimam ac tritissimam ipsius *Spiritus SANCTI* appellationem. Plurimi quidem in ea sententia sunt *sanctum* appellari Spiritum Dei, non tam ad sanctitatem illius essentialem & internam significandam, quippe de qua aliunde satis iam constet, sed ad signanda illius opera in hominibus; quoniam scilicet illi hominum sanctificatio singulari ratione tribuatur. Verum licet libenter concedamus, respici simul hac appellatione opera spiritus in hominibus perficienda, causas tamen idoneas nobis habere videmur statuendi, hanc quoque appellationem primo ac praecipue ad ipsam naturam summamque spiritus perfectionem signandam pertinere. Solus enim *Spiritus Dei sanctus* simpliciter appellatur, anima vero fidelis sanctificata nunquam *Spiritus sanctus* simpliciter dicitur. Cum ergo hoc nomen soli spiritui Dei hoc pacto tribuatur, proxime illo ipsa naturae praesentia signari viderur. Accedit, quod *Deus*, ut satis notum est, absolute *sanctus* appellatur, quod dum fit, saltem primario ad summam illius perfectionem naturalem atque internam respicitur, ex qua vero id necessario fluit, quod sanctitatis moralis nomine comprehenditur. *Sanctus* scilicet idem sonat ac *separatus, distinctus* & quidem in bonam partem. Si itaque *Deus* *κατ' εἶδος* ac simpliciter *sanctus* appellatur, singularis illius, illique necessaria solique propria summa excellentia, atque complexio ac perfectio omnium laudum virtutumque significatur, quae id efficit, ut nihil plane imperfecti in eo sit aut esse possit, & ut ab omnibus rebus creatis in finite distinctus sit; quippe a quarum nulla villo modo pender, & quae contra omnes ab illo vnice & necessario pendere oportet. Ex quo etiam fit, ut *Deus* certo aliquid confirmaturus,

vsu & consuetudine sermonis sacri plane abhorret. Licet enim res bonam interpretationem tandem habere posset, legatio tamen Christi, in sacris, soli patri & ab ipso Christo & a viris diuinitus adflatis tribuitur. Quam ob rem verisimile non est, solum Iesaiam a reliquis secessionem fecisse; id quod ab illis statuitur, qui verba (c. XXXVIII. 16.) ita vertunt, ac nunc *misit me Dominus ac Spiritus eius*. Vertenda haec potius ita sunt, *misit me Dominus ac Spiritum suum*.

turus, non minus per *sanctitatem* suam, quam per *vitam* suam iuret. Haec itaque omnia de *Spiritu* quoque adfirmantur, dum simpliciter & absolute *sanctus* appellatur.

Verum progredimur nunc ad alterum appellationum genus illa Spiritus Sancti nomina complectens, quibus munerum & operum illius, in hominibus efficiendorum, varietas ac multitudo proxime signatur. Sunt vero illa nomina, si vocabulorum rationem spectemus, vel propria vel translata; de vtrisque boni ordinis causa separatim & ita dicemus, ut potiora & notiora seligamus ac breuiter illustremus. Quod igitur ad appellationes huius generis, vocabulis propriis expressas attinet, primo loco appellationem *septem spirituum* merito notamus. Occurrit vero illa & quidem bis in apocalypsi: primo capite r. 4., vbi Iohannes ecclesiis septem Asiae, ad quas scribere iussus fuerat, gratiam & pacem a *septem spiritibus* apprecatur, *qui ante thronum Dei sunt*; & deinde cap. III, r., vbi Dominus noster Iesus Christus in splendido, quo utitur titulo, se illum appellat, qui *habeat septem Spiritus Dei*. Varia in singulari hac appellatione occurrunt, quae breuiter expediri & obseruari oportet. Primo itaque haec appellatio non solum opera spiritus S., verum etiam naturam simul atque originem illius respicit. Dicuntur enim septem hi spiritus *esse ante thronum Dei*, imo ipsius *Dei* i. e. *patris* spiritus, simul tamen filius quoque illos *habere* dicitur; ex quibus rite inter se comparatis luculenter apparet, septem hos spiritus patri ac filio pronuntiarum communes, ut filii aequae ac patris & sint & haberi debeant. Verum enim vero haec iam non morati, ad id accedimus, quod in hac appellatione caput causae est. Iure scilicet quaeritur, quid hoc sibi velit, quod his locis plurium imo definite *septem* spiritum fit mentio. Agamus ergo primo loco generatim de numero *plurium*, deinde sigillatim de ratione numeri *septenarii*. Quod itaque ad hanc quaestionem attinet, illa adeo difficilis & impedita nonnullis visa est, ut metu multitudinis alicuius in Deo, simplicitati illius summae vniue naturae plane repugnantis, spiritus hos creatos existimauerint, sibiue persuaserint, dici hic septem naturas spirituales, siue angelos, qui Deo summo, rerum omnium auctori ac rectori, ad mandata illius accipienda & exsequenda appareant. Sed facile huius sententiae falsitas ex eo cernitur, quod Iohannes ab his septem spiritibus, non minus quam a patre ac filio,

lio, gratiam ac pacem apprecatur; quae bona nusquam nisi a vero Deo optantur aut optari possunt. Maneat id ergo, ac pro certo ponatur, *Spiritus* hos, numero plurium, plane idem esse atque *spiritum* numero singulari. Multitudinis vero numerus ad essentiam naturamque Sp.S. pertinere non potest: quippe quod non solum primis de Deo notionibus repugnat, sed etiam eo satis refellitur, quod Spir. S. diserte *unicus* dicitur. Ita enim Paulus (Eph. III, 3.) *vnus est spiritus*, ait; & longe clarius ac disertius ad Corinthios scribit (1 Ep. XII, 4. II.) *varia sunt dona, sed vnus est spiritus; haec omnia efficit vnus ille spiritus, suumque cuique tribuit arbitrato suo*. Sicuti igitur ex his pronuntiatis *eoris* spiritus S. ratione naturae & essentiae, liquido apparet, ita simul luculenter satis docetur, quo multitudinis numerus interdum de eo adhibitus, pertineat. Respicit scilicet varietatem & multitudinem donorum illius atque operum, simulque etiam id, vt verisimile videtur, innuitur, vnicum illum spiritum S., per se ipsum praesentemque agere omnia atque operari, vbicunque operetur, & omnibus extra se rebus intime totumque praesentem, ac proinde ipsum verum summumque Deum esse.

Quae vero causa numeri *septenarii* hac in re adhibiti sit, difficilior sane quaestio est, in qua disceptanda interpretes in varias sententias distrahuntur. Fuerunt nonnulli, qui sibi persuaserunt respici locum de Spiritu S. Iesai XI, 1. 2. occurrentem, in quo spiritus Dei Messiam donis instruens *septem* nominibus appelletur, hoc pacto, numerandis; 1) spiritus Iehovae, 2) spiritus sapientiae, 3) spiritus intelligentiae, 4) spiritus consilii, 5) spiritus fortitudinis, 6) spiritus cognitionis, 7) spiritus timoris Domini. Verum vt taceamus, ne minimum quidem in oratione Iohannea vestigium occurrere, ex quo coniectura duci queat, effatum illud Iesaiiae respici, res ipsa quoque non satis videtur convenire, si cuncta accuratius expendamus. Consentiant scilicet hi interpretes de eo, quod caput causae est, multitudinis numerum de spiritu S. adhibutum, spectare multitudinem & varietatem munerum atque operum illius in naturis creatis; quod si ita se habet haec ipsa sententia postulat, vt in loco prophetico, quem cum maxime tractamus, *septem* munera spiritus S. commemorata esse oporteat: atqui ipse verborum adspectus docet, *sex* tantummodo poni. Nam dum *spiritus Iehovae* in initio orationis appellatur, aperte non munus aliquod illius aut opus,

B sed

sed ipsa eius natura & origo dicitur. Mittimus itaque hanc sententiam tamquam parum aptam, alteriusque mentionem facimus, eorum scilicet, qui numerum *septenarium* ad septem ecclesias Asiae, ad quas litterae datae leguntur, respicere arbitrantur; eoque significari censent; spiritum S. septem illis ecclesiis fuisse praesentem, & quamlibet illarum muneribus suis instruxisse. Erat tempus, quo ipsi quoque hanc sententiam admodum verisimilem iudicabamus; sed omnibus melius ponderatis, multum illi nunc non amplius tribuimus. Vix enim iure dubitari potest, Ioannem in inscriptione apocalypseos, ubi *septem spiritus* commemorat, respicere *septem faces*, *septemque cornua* atque *oculos* agni, quae cuncta in visione ipsi ostensa fuerant; (c. III, 5. & V, 6.) in his vero locis *septem faces* & *cornua*, *septemque oculi* agni diserte *septem spiritus Dei* esse dicuntur. Hunc autem numerum *septenarium flammarum* scilicet, *cornuum*, *oculorumque* agni, *septem* ecclesias respicere, nullo probabili indicio cognoscitur. Quae cum ita se habeant, tutissimum erit dicere, numerum quidem hunc definitum causas suas sine dubio habere, quae vero nobis in s. litteris perspicue patefactae non sint.

Progredimur nunc ad alias appellationes Spir. S. verbis propriis expressas & ad opera illius ac munera pertinentes, quaeque minus difficultatis habent. Appellatur itaque *spiritus sapientiae*, *intelligentiae*, *consilii*, *fortitudinis*, *cognitionis*, *timoris Dei*; (Ier. XI.) quoniam haec omnia efficit in hominibus. Licet vero variae hae appellationes, ex parte, vnam eandemque rem significare videantur; interest tamen omnino aliquid: quod vero, cum nimis longum futurum esset, hoc loco suffus declarare non licet. Appellatur porro *spiritus gratiae* & *precum*; (Zach. XII, 10.) *gratiae*, quoniam illius est, gratiam Dei & Christi ad homines transferre iisque confirmare; *precum*, quoniam ad preces Deo gratas, precantibusque fructuosas & impellit & aptos reddit homines. Nominatur etiam ab ipso Domino *spiritus veritatis*, (Io. XIII, 17.) quoniam ipse est, in omnem veritatem inducere, & imprimis ad salutarem Christi, qui *veritas* est, cognitionem deducere. Appellatur quoque *spiritus uoδeσias*, siue *adoptionis*, quo significatur illum esse, qui adoptionis certam fidem faciat; quique etiam pietatem, fiduciam, amorem erga Deum liberos decentem animis adferat.

Sufficiant haec de propriis spiritus S. appellationibus admunera
illius

illius atque opera pertinentibus. Accedimus nunc ad appellationes ver-
bis translatis expressas breuiter illustrandas. Appellatur itaque primo
nomine *ignis*. Tacemus iam vnum alterumque V.T. locum, qui eo per-
tinet, consistimusque tantum in praesenti in iis, quae in N.T. occurrunt.
Sic igitur Ioannes baptista hoc nomen spiritui tribuit, se aqua quidem
tingere, inquit, secuturum vero se, *qui igni tingat*. In apocalypsi ve-
ro (c. III, 5.) septem *faces* ignis ante, thronum Dei, ardentes commemo-
rantur; qui diserte, Spiritus Dei septem appellantur. Tribuitur vero hoc
nomen Spiritui, cum ad praestantiam naturae significandam, (Deus enim
etiam alibi κατ' ἐξοχήν *lux, ignis* dicitur) tum ad vim illius ad res crea-
tas pertinentem, omniaque intime penetrantem, atque animantem &
agentem. Ex quo etiam factum est, vt spiritu S. in apostolos effuso, in
signum virtutis diuinae cum illis communicatae, singulae flammae ignis
super singulis extrinsecus conspicerentur. *) Appellatur porro Spiri-
tus S. nomine *septem cornuum & oculorum agni* Apoc. V.; cornua si-
gnum roboris ac fortitudinis, oculi vero intelligentiae, ac perspicien-
tiae sunt: generatim itaque significatur, spiritum Dei esse etiam spiritum
filii, communicatumque quoque sine mensura cum natura illius huma-
na, ad illam perficiendam instruendamque, vt muneris rationes postu-
labant. **).

Vsitatissima etiam est in sacris appellatio *aquae* & saepe cum addi-
tamento *aquae viuentis vel vitae*. Frequentatur haec appellatio iam in
scriptis prophetis, quando de spiritu S. sermo est, & in N. T. idem fit
ab ipso Christo multis in locis (Io. III. IIII. VII. Apoc. XXII.) vis huius ap-
pellationis in eo maxime ponitur, vt significetur Spir. S. purgare ani-
mas,

B 2

*) Multi quidem interpretes verba, ὠφθησαν αυτοῖς διαμεριζομεναι γλωσσαι
ὡσα πυρος, ita vertunt & interpretantur, quasi linguae apostolorum igneae
& quasi diuinae apparuerint, ad vim diuinam, quam oratio illorum habitura
sit, significandam. Sed falluntur omnino. Vera enim verborum sententia
est, *linguas quasi ignis*, i. e. flammis singulas linguae formam habentes, super
singulis apparuisse & extrinsecus conspectas esse, ad singularem praesentiam
& operationem Spiritus S. in iis significandam.

***) Sumta est haec appellatio *septem oculorum* ex Zach. III, 9. IIII, 10. vbi pari-
ter *septem oculorum Domini*, qui ambulant per totam terram mentio fit. In
apocalypsi itaque declaratur, septem hos oculos, significare spiritum Dei
omnia peruadentem, mouentem, animantemque.

mas, recreare & exhilarere, sancta illarum desideria explere, foecunditatemque praeterea spiritualement dare; id quod non solum credentibus in hac vita, verum etiam modo perfectissimo, metam consecutis in seculo futuro praestat, id quod certissime colligitur ex Apocal. VII, 20. XXII, 1. &c. dum vero flumini quoque aquae purissimae, ex throno Dei atque agni erumpenti comparatur, origo quoque illius aeterna a patre ac filio simul significatur. Appellatur porro Spiritus Dei nomine *olei*, ad vim muneraque illius significanda; & quidem in locis nonnullis cum additamento *oleum gaudii*. (Pf. XXXV, 8. Ies. LXI, 3.) olei usus apud veteres frequentissimus erat, cum ad roborandum, sanandumque corpus, tum ad laetitiam animi significandam. Quoniam igitur Spiritus S. haec omnia animabus praestat, translatio haec aptissima & ad rem accommodata est.

Inter translata huiusmodi nomina referuntur quoque appellationes *figilli* & *arrhabonis*, Eph. I, 13. 2 Cor. I, 22. *figillum* quidem appellatur spiritus, partim ob eam causam, cur a Deo datur, partim propter id, quod ipse in credentibus efficit. Est videlicet primo sigillum Dei, illum eam ob causam donantis, ut fideles tanquam suos notet, inuiolatos praestet, sibi que totos vindicet; deinde sigillum quoque est & dicitur propter ea, quae ipse praestat & efficit in eo maxime posita, ut operationibus suis, fidem indulgentiae diuinae ac spem futurorum confirmet. *Arrhabo* vero interdum quidem dicitur pro pignore, quod debito soluto, redditur. In spiritu S. vero positum vocabulum idem sonat atque *arrha*, quae datur in antecessum tamquam pars debiti, ut fides fiat praestandae solutionis plenae: *arrha* igitur non aufertur sed completur. Talis ergo arrhabo est Spiritus Sanctus; ex quo credentes in hac vita primitias modo spiritus S. habere dicuntur, ad significandum, plenissimam illius mensuram beatae aeternitati referuari.

Adiungimus adhuc appellationem *Paracleti*, a Christo primum & quidem solo, de spiritu S. adhibitam, sed in vltima oratione valde frequentatam. Nomen *παράκλητος* vero a *παρακαλεω* ductum sonat proprie aduocatum, defensorem, patronum, qui personam alterius sustinet, eiusque causam agit. Ipse Christus hoc nomine a Ioanne appellatur, (1 Ep. II, 2.) quoniam causam fidelium apud Deum agit, seque perpetuo pro illis interponit, dum adhuc in hac vita sunt, & cum variis calamitatibus

bus

bus luctandum habent. Hic vero alius quoque aduocatus ab ipso Christo instituitur. Est & dicitur vero Paraclerus, cum ratione Domini, tum ratione credentium ipsorum. Ratione Christi est ad vocatus, quoniam Christi causam apud fideles agit; Christus enim per illum efficit quod effici vult; illius est Christum in ipsis & apud ipsos illustrare & in summa fiducia, amore & honore collocare. Est vero etiam aduocatus ratione fidelium; quoniam causam fidelium variis modis & in variis quasi foris agit. Agit causam illorum, & dicit quasi pro illis apud Deum & Christum, vt Paulus docet, Rom. VIII, 26. 27, *similiter vero*, inquit, & *spiritus vna succurrit, infirmitatibus nostris; nescimus enim quomodo & quid precari debeamus, sicuti oportet; sed idem ipse spiritus super intercedit pro nobis suspiriis ineffabilibus. Corda vero scrutans nouit sensum spiritus quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis.* Agit porro causam illorum, vt sic loquamur, apud ipsos in foro conscientiae, cum enim credentibus interdum adhuc cum dubitationibus variis ac tentationibus luctandum sit; Spiritus S. ad officium suum pertinere censet, spiritui qui in illis est succurrere, nouaque adiumenta subministrare, vt carnem vincat, laetusque fructus gaudii ex illa victoria efflorescat. Agit denique causam illorum apud mundum, suppeditando illa, quae ad bonam causam defendendam & dici & fieri ab iis oportet. *).

Verum

*) Licet inter munera officii paraclerici spiritus S. & Christi omnino intersit, eamque ob causam etiam Spir. S. *ἄλλος παρακλητος* s. *alius aduocatus*, a Christo dicatur; generatim tamen inter amborum aduocatorum munera conuenientia est, dum vtraque statum fidelium in vita hac misera variisque malis circumuenta respiciunt. Christus videlicet *παρακλητον* fidelium tum maxime apud patrem in coelo agit, si credentes, a peccato sollicitantur, & per ignorantiam aut imprudentiam in aliquare labuntur, vt ex Ioh. II, 2. haud obscure apparet. Deprecatio porro siue intercessio Christi pariter in S. literis semper ad statum fidelium imperfectum, imbecillum ac sollicitationibus obnoxium refertur; vt ex collatione omnium hac de re locorum apparet: Rom. VIII, 26. Ebr. III, 14. sqq. V, 1. sqq. VII, 25. & Ioh. XVII. toto, hinc Christus gloria adfectus nusquam dicitur aut legitur pro iustis consummatis nulli amplius periculo obnoxii nec venia & purgatione indigentibus, *intercedere* siue *deprecari*. Pari ratione Spiritus S. munus paracleriticum proprie ad fideles & quidem auxilii varii, propter imbecillitatem adhuc indigentes refertur; quae efficit, vt tum institutione, tum admonitione, tum

Verum praecidimus hic nostram hac de re orationem, progredientes ad ea quae restant, atque in eo posita sunt, ut vobis CIVES OPTIMI paucis adhuc ostendamus, quomodo dictis recte, & salutariter uti debeatis. Primo itaque ex ipsis his summam necessitatem accipiendi Spiritum sanctum cognoscere potestis ac debetis. Cum enim ea, quae nominibus illius variis significantur, quaeque ad salutem in Christo consequendam, tuendam ac fruendam simpliciter necessaria sunt, nemo praeter ipsum praestare atque efficere queat; ex eo ipso satis apparet, eum qui solus efficit, nobis quoque simpliciter necessarium esse, ut eo carere plane nequeamus, si salvi esse cupimus. Sine illo nulla vera ac salutaris Dei & Christi cognitio, sine eo proinde nulla quoque vera sapientia, cuius adeo amabile nomen est, ut homines eam nunquam non valde expetierint, sapientesque saltem videri haberique voluerint, etiam si non fuerunt. Sine illo nulla certa ac stabilis fiducia in Deo, nullus amor, nulla reuerentia Deo probata, nulla spes firma futurorum aeternorumque. In summa, ut verbis Pauli vsi, multa ac magna paucis complectamur, *quos Spiritus Dei agit ac regit, illi sunt liberi Dei; qui vero Spiritum Christi non habet, illius non est.* Omnis itaque spes communionis cum Christo ac proinde etiam salutis illis simpliciter praeciditur, qui Spiritum Christi non ita habent ac possident, ut ille quoque ipsos habeat possideatque. Nec enim ille spiritum dicitur *habere*, qui motus illius pulsusque interdum sentit, sed adspernatur ac comprimit, quominus opus Dei in illo incoari ac perfici queat; verum ille, qui se totum Spiritui formandum, emendandum, regendum atque inhabitandum permittit, ut templum illius fiat. Quidquid enim ex *Spiritu* nascitur, illud demum *Spiritus* est; illud in regno Dei collocatur, regnumque Dei in ipso. Ipsa igitur muneris huius necessitas omnes, qui sapere volunt, impellere merito ad illud appetendum adipiscendumque debet.

Cogitate porro, CIVES OPTIMI, quam excellens atque amabile hoc munus sit, idque multis de causis. Spiritus enim natura ipse Deus ac proinde summum bonum est, cuius adeptio ac possessio non potest non summam voluptatem perpetuumque bonorum fructum

adfer-
confirmatione, tum interna intercessione per suspiria ineffabilia opus sit
conf. Ioh. XVI, 13. Rom. VIII, 26.

adferre. Ex quo fit, vt ea quoque omnia, quae libenter in nobis efficit, vtilissima nobis sint, veraque gaudia praestent. Accedit, quod excellens hoc munus omnibus a Christo partum atque a Deo destinatum est, vt illius participes fieri omnino possint, si modo ipsi velint. Quae alioquin inter homines excellunt magnumque pretium habent, rara esse solent: ex quo euenit, vt multi quidem concupiscant, pauci vero consequantur. Huius muneris alia meliorque ratio est; quod quo magis pretiosum atque amabile est, eo magis quoque obuium est, hominibusque offertur; & quidem *gratis*. Ita enim Deus pronuntiat; *agedum qui sititis accedite ad aquam, & qui pecuniam non habetis: accedite, emite & vescimini, sine pecunia & gratis, vino ac lacte, Ies. LV, l. coll. Apoc. XXI, 9. XXII, .*

Quae cum ita sint, donumque hoc tam amabile atque excellens sit, iure quaeritur, qui fiat, vt nihilominus a paucis ametur atque appetatur: & cur in primis inter illos, qui studiis operantur, tam parui fiat. Duo hic breuiter expedienda sunt. Primo probandum est, paucos inter litterarum amatores ac cultores, spiritus sancti quoque amatores verosque cultores esse, ne per calumni iniurii in quenquam esse videamur; deinde in causas rei admodum funestae inquirendum est. Quod itaque ad primum attinet, nulla aliare ad id probandum opus est, quam rerum ipsarum testimoniis. Vbi scilicet spiritus sanctus, non verbo tenus, sed re vera amatur & colitur, ibi exulare oportet opera carnis, ad esse contra atque apparere fructus spiritus, veraeque sapientiae: ex fructibus enim iudicium de arbore faciendum est. Quae vero sint opera carnis; qui fructus spiritus veraeque sapientiae, clarissime nobis in verbo Dei demonstratum est. Ita vero Paulus, *aperta vero, inquit, sunt opera carnis, qualia sunt, adulterium, stuprum, impuritas, lasciuia, idololatria, magia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, ex candescentiae, iurgia, dissidia haereses, inuidiae, caedes, ebrietates, commissationes hisque similia, Gal. V, 19. coll. Rom. I. I Cor. VI;* fructus vero spiritus veraeque sapientiae, sunt *amor, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, beneficentia, fides, mansuetudo, continentia. Veraque sapientia ac coelestis primo quidem casta est, deinde pacis amans, aequa, bona sibi persuaderi patiens, plena misericordiae & fructuum bonorum, non iniustum discrimen faciens, sine simulatione.* Iam comparet haec, quicumque velit, statui academiarum ac sic dicti orbis litterati, videatque quid ibi maxime & apud plurimos fiat ac perspicue appareat, tum facile animaduertet, nimis vera esse quae diximus & quae iam olim Paulus de suo tempore dixit, *paucos sapientes secundum carnem,* verbum euangelii vera fide esse amplexos. Ecquid vero in causa & culpa rei adeo dirae ac funestae est? num ipse litterae, bonaeque artes ac disciplinae? minime sane, sed peruersa plurimorum tractandi ac discendi ratio, rerumque per se bonarum turpis abusus. Peruersae enim tractant litteras artesque bonas, qui non simul imo praecipue de vera cognitione sui, statusque sui coram Deo,
de

de collocatione apud eum in gratia, ac de vera atque interna animi emendatione sunt solliciti, quique de breuib; seque mutantibus, magis laborant quam de aeternis ac manentibus. Abutuntur vero turpiter, qui cultura & acuminē ingenii, vel ad negandam vel ad extenuandam caecitatem hominis & impotentiam in spiritualibus vtuntur, ac proinde id vel plane negligunt, vel saltem negligenter agunt, quod tamen diligenter ab iis agi oportet, qui vere sanari, Christumque sibi sapientiam iustitiam, sanctificationem & liberationem vere fieri cupiunt.

Quid vero illos agere oportebit, qui spiritum sanctum accipere, ac proinde his diebus recte vbi volunt? mala primo consilia omnia ante omnia sunt abiicienda pergendi in malo; deinde verbum euangelii, per quod spiritus operatur, seque animis in sinuare laborat, pie ac diligenter meditandum tractandumque est: porro spiritus S. piis seriisque precibus a Deo experendus est. Hanc enim viam ipse Seruator demonstrauit: *si vos, inquit, qui prauis estis, tamen liberis vestris bona munera datis, quanto magis pater meus coelestis spiritum sanctum dabit rogantibus ipsum.* Denique spiritui sancto animum pullanti non resisti debet data opera, sed pareri, quo totam mentem occupare omniaque suo arbitratu agere possit.


Haec igitur, vobis inprimis CIVES OPTIMI, dicta sunt. O vos beatos, si illa vobis commendata, per hos dies, imo per omnem vitam habebitis. Ita enim agentibus Deus suam fidem certo praestabit, Spiritum suum donando, qui vos *Θεοδιδάκτας* efficiat. Tales enim si fieris, litterarum quoque cultura vere vobis succedet, omnibusque quae didicistis, recte quoque vti scietis, vt Deo honorifica vobis & aliis vere fructuosa sint.


Agite ergo id, quod fieri vestra maxime, imo tot mortalium interest, vt scilicet animos vestros, officinas ac templa spiritui sancto tandem aliquando praebitis. Ita enim academia quoque nostra officina spiritus sancti iure appellabitur, si Ciues illius vel omnes vel saltem plurimi, ipsi se ex animo tradent. Sic deinde ex ea homines bene instructi rei publicae & sacrae vtilis prodibunt, iustaque conquerendi causa praecidetur, ex bonis in academiis haud raro malos, & ex malis, peiores imo pessimos fieri, infundique proinde colluuiem hominum scelestissimorum in ecclesiam, in ciuitates, & in domos; qui cum sapientes non sint, sapientes tamen sibi videantur, ac proinde maxime insanabiles sint, ac difficillime respiscant. Vtinam res in posterum aliter sese habeat; quod tum certissime fiet, si spiritus sanctus inter vos atque in vobis in posterum regnabit, qui vt ipse bonus est, ita quoque qui se ipsi totos permittunt, bonos efficit. Vere autem bonus vere quoque sapiens est. Recte igitur Saluianus,

nemo malus, inquit, nisi stultus; si enim saperet, bonus esse mallet.


P. P. Pridie Pentecostes A. MDCCLIII.











the scale towards document

& virtutes sine meo monito manebunt, donec doctri-
aestimantur. Unum tamen si reticerem, iniurius
a, qui ex illius recordatione semper voluptatem ca-
summa, qua gaudes, quamque, cum Berolini in-
tomico meus esses socius, toties hilari cum vultu per-
integritas, virtus in tantum laudanda, in quantum
ano salutaris Quod reliquum est, Triunum Nu-
x rogo, ut TE per multos annos saluum & incolu-
er, PRAXIN TVAM fortunet & TE, de quo doctrina
ae TVA haud dubitare me finit, multorum aegrorum
en. Interea maximopere TE rogatum volo, ut ami-
vorem, qui nullo modo hactenus sufflaminatus est,
um a me expectabis, quicquid ab homine TVI aman-
ectari poterit. Dabam, ad iter in patriam praecin-
Magdeburgicae die I. August. MDCCLVI.

RAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
LINO CANDIDATO
OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM
RECHT AVGVST. FRIDER. LOEPER,

BEROLIN. OPPONENS.

am totius fere Medicinae esse fundamentum, omnes
ostrae periti docuerunt, TEQUE eandem fovere sen-
do in Dissertatione praesente a TE doctissime obser-
superque confirmat. Exquisite enim, antequam
VM profectuus es, structuram organi exhibuisti,
maius sub coelo frigido demonstrare animus TIBI
uiquam id mirum erit, qui noverit, qua infatigabili
diligentia sectiones atque lectiones Celeberr. ME-
omicas frequentaveris. Hinc amicitia nostra, qua
eve saltem spatium frui mihi contigerit, tantos tamen
pi fructus, ut maximo cum dolore discessum praen-
N. Verum, quo minus in laudes TVAS excurrant
VA modestia prohibet. Interim gratulor TIBI, AMI-
ME, quod, confectis ex voto studiis academicis, sum-
alutari honores, tanquam praemia diligentiae TVAE,
Gratias TIBI ago habeoque maximas, quod me
TIBI